

# EPISTULA LEONINA

## CCXXV

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CCXXIV** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM VICESIMAM QUINTAM (225) !**

## ARGUMENTA

<b>PRAEFATIUNCULA.....</b>	02-03
<b>SIT TIBI TERRA LEVIS.....</b>	04
<b>DUO CHRONOGRAMMATA PATRIS HERBERTI DOUTEIL BRASILIENSIS.....</b>	05-06
<b>CHRONOGRAMMA IOHANNIS DEMMING BEETHOVENIANUM.....</b>	07
<b>DUAE ORATIONES DONALDI TRUMP PACIFICAЕ.....</b>	08-14
<b>MYTHI GRAECORUM:</b> Theseus rex – Bellum Amazonum.....	15-18
<b>ECHUS VOCES EPISTULAE</b> ( <i>Kovács/LL</i> ).....	19
<b>NUNTIUS LUGUBRIS:</b> Stanislaum Tekieli obiisse .....	20
<b>LIBRI LEONIS LATINI.....</b>	21-24

## LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*valdē gaudeo, quod hac quoque die Dominicā fieri potest, ut tibi mittam Epistulam Leoninam. Quam incohamus proverbio adagiove bene nōto, quod est “Sit tibi terra levis”. Legas eandem locutionem iam inveniri in antiquâ inscriptione Hispaniensi (p.4). Quâ usi sumus in memoriam inclutam Stanislai Tekieli (1965-2020) magni fautoris Latinitatis Vivaе, quem mense Novembri obiisse sérō demum acceperamus et magno cum maerore (p.20). Chronogrammata artificiosē confecta solemus accipere a Patre **Herberto Douteil** (p.5-6) necnon a **Iohanne Demming** (p.7), quibus Epistulae nostrae mirum in modum ornentur. Porro ausi sumus duas oratiunculas afferre praesidis Americae omnium diffamatissimi (p.8-14). Scimus quidem hunc virum nonnullis lectoribus parum placere, sed speramus eosdem tam iustos tamque cupidos fore scientiae suae augendae, ut legendo cognoscant illum praesidem a calumniatoribus iniustē daemonizatum esse. Legant has oratiunculas, ex quibus appareat **Donaldum Trump** minimē esse bellicosum, sed magis pacificum quam plerosque praesides Americae ceteros. Praeterea perreximus Latinē reddere enarrationes Mythorum Graecorum Schwabianas; hac in parte seriei agitur de*

*meritis Thesei herois politicis deque eius pugnâ cum Amazonibus factâ (quarum unam in matrinomium duxerat). Haec hactenus. Parata est lectio cum amore; utinam Tibi sapiat!*

**Medullitus Te salutat  
Dr. Nicolaus Groß**

**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
Die Dominicâ, 31. m.Ian. a.2021**



## SIT TIBI TERRA LEVIS

Haec inscriptio Romana prope Emeritam Augustam (hisp. *Mérida*) urbem Hispanicam inventa, hodie conditur in Museo Nationali Artis Romana (*Museo Nacional de Arte Romano*). Textus sic legendus est (*Hispania Epigraphica* [25552](#)):

M(arco) Cornelio M(arci) f(ilio) Pap(iria) Pollio / M(arco) Cornelio Urbano / M(arco) Cornelio Celeri / Cornelia M(arci) l(iberta) Iucunda / sic nuncquam Fortuna sinat te nosse dolo[rem] / praeterisse potes quasm pius o iuvenis / sit datus in flamas nosse doloris rit nunc petit i[---] / quisquis ades dicas **sit tibi terra levis** h(ic) [---]  
cfr EURIPIDES, Alcestus 463,4 κούφα σοι χθὼν ἐπάνωθε πέσοι

# **DUO CHRONOGRAMMATA PATRIS HERBERTI DOUTEIL BRASILIENSIS**

Zum 28. Januar, dem **Fest des heiligen Thomas von Aquin:**



2021\* pangIte LIngVa ThoMae AqVInatIs pII DoCtorIs eCClesIae opera philosopHiae et theoLogiae. - Besingt mit der Zunge die philosophischen und theologischen Werke des frommen Kirchenlehrers Thomas von Aquin! - Der Beginn des Chronogramms unter Benutzung des Beginns des von Thomas stammenden Hymnus „Pange lingua gloriosi corporis mysterium“ zum Fronleichnamsfest

Zum 25. Januar, dem **Fest der Bekehrung des heiligen Paulus:**

2021\* eIa, SaVLe, SaVLe, qVID Me perseqVerIs? - qVIes es? - et **ILLe: IesVs a te InseCtatVs.** - SaVLVs ConVersVs et CVratVs est. – Hallo, Saulus, Saulus, warum verfolgst du mich? – Wer bist du? – Und jener: Jesus, der von dir verfolgt wird! – Saulus hat sich bekehrt und wurde geheilt. – Apg 9, 4.5.18



**Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515**

# CHRONOGRAMMA IOHANNIS DEMMING BEETHOVENIANUM



Zum 17. Dezember 2020

LVDVVI<sup>G</sup> VAN BEETHOVEN NOBILIS MVSICAE  
PRINCEPS TEVTONICVS QVINQVAGINTA  
LVSTRIS ANTE BAPTIZATVS

Ludwig van Beethoven, edler deutscher Fürst der Musik, wurde vor 250 Jahren  
getauft.

hdf

# **DONALDI TRUMP PRAESIDIS AMERICAE ORATIO PACIFICA PRIMA**



**D.13. m.Ian. a.2021 Donaldus Trump allocutionem habet ad suam nationem.**

## **Nuntius a Donaldo Trump Praeside Americae omnibus Americanis allatus**

Epoch Times d.14. m.Ian. a.2021 <https://www.epochtimes.de/politik/ausland/eine-botschaft-von-us-praesident-donald-trump-an-alle-amerikaner-a3423835.html>

*D.13.m.Ian. Donaldus Trump Praeses Civitatum Unitarum allocutionem habuit ad omnes concives Americanos. Qui populum rogavit, ut diebus venturis maneat pacifica et expers violentiae. Haec oratio est emissa per planiformam Youttube interretialem.*

„Concives mei Americani,

hodie vespere vobis dicam, quae res anxiosae factae sint septimanâ proximâ praeteritâ. Vobis iam dixi effracturam Capitolii Civitatum Unitarum, factam esse in cor rei publicae nostrae ideoque miliones Americanorum variarum partium politicarum indignatos atque territos esse. Itaque de hac re velim clarê dicere:

Condemno inambiguê facinora violenta, qualia vidimus septimanâ proximâ praeteritâ. Nam violentia et vandalismus oportet absolutê absint ab hac terrâ absque politico motu nostro. Cum Americam studemus denuo facere magnam, semper studemus defendere rei publicae constitutionem, viros mulieresque prosecutionis criminalis adiuvare et piê servare nationis nostrae tradita bona sanctissima.

Violentia est contraria omnibus rebus, in quas credo et omnibus, quas defendit motus noster. Nullus adiutor mei verus umquam comprobat violentiam politicam. Nullus adiutor mei verus umquam negligit prosecutionem criminalem aut vexillum nostrum magnificum. Nullus adiutor mei verus umquam concivi Americano affert aut minas aut molestias.

Si unam istarum rerum facitis, nequaquam foveatis motum nostrum, sed eundem offenditis offenditisque terram nostram. Istud oportet ne feramus. Anno proximo praeterito, qui effectu morbi covidiani fatali fuit perdifficilis, vidimus erumpere politicam violentiam. Vidimus nimis multos tumultûs, nimis multas pugnas, nimis multa facinora terrendi et destruendi. Oportet ista desinant fieri, nec rôfert, utrum fiant a parte dextrâ an sinistrâ, a democratîs an a republicanis. Numquam causa est, cur comprobetur violentia, nullae valent excusatiunculae, nullae exceptiones. America est natio, in quâ valent lêges.

Isti, qui septimanâ proximâ participes fuerunt impetûs in Capitoilum faciendi, in ius vocabuntur. Nunc rogo omnes, qui umquam crediderunt in consilia nostra, ut deliberent, quonam modo dissidia componantur et animi placentur et efficiatur, ut in terrâ nostrâ pax foveatur. Sunt, qui annuntient diebus venturis factum iri novas manifestationes, et hîc in urbe Vassintonio et in totâ terrâ.

Ab officio Civitatum Unitarum certior factus sum, qualia pericula immineant. Omnis Americanus ius habet sententiam suam enuntiare more urbano et pacifico. At etiam etiamque verbis efferre debeo nullo modo permitti ullam vim, ullam lêgis transgressionem, ullum vandalismum cuiusvis generis. Omnis civis debet lêges servare et sequi praecepta magistratum prosecutionis criminalis. Iussi

magistratūs foederales omnia subsidia adhibere necessaria, quibus ordinem tenerent firmum.

Vassintonii aliquot milibus militibus cohortis nationalis mandabimus, ut urbem protegant et confirmabunt transitum securum. Sine ullo casu intermedio. Ut vos omnes ego quoque consternatus sum et vehementissimē contristatus calamitate, quae septimanā praeteritā proximā in Capitolio facta est. Gratias agere velim centum milibus civium Americanorum mirabiliter proborum, qui hoc momentum temporis exspectaverunt animis moderatē quietis et propitiis. Nos unā perferemus hanc difficultatem, sicut semper tales perferimus.

Praeterea velim nonnulla verba dicere de impetu incomparabili, qui his diebus factus est in libertatem sententiae proferendae. Haec tempora sunt suspensa atque difficilia. Studia autem concives censurā puniendi, eorum scripta interretialia delendi, eorum nomina indicibus nigris imponendi sun falsa et periculosa. Nunc nobis necesse est, ut unus alterum audiat, ne unus alterum cogat, ut taceat. Nos omnes possumus decernere, ut melius agendo ceteris praestantes inveniamus finem fundamentumque agendi commune.

Oportet nunc intentē id curamus, ut commoda augeamus totius nationis, ut vaccina mirabilia hominibus afferamus, ut pandemiam superemus, ut oeconomiam restituamus, ut securitatem nostram nationalem protegamus, ut servemus rei publicae constitutionem. Hodie omnes Americanos adhortor, ut cupiditates, quibus momento tantum temporis sunt affecti, superent et inter se coniungant, ut sint unus tantum populus Americanus. Decernamus, ut in salutem familiarum nostrorum, nostrarum communitatum, necnon nostrae terrae procedamus cuncti. Gratias vobis ago. Deus vos benedicat. Et Deus benedicat Americam. «

**HANC ALLOCUTIONEM  
QUAM D.13. M.IAN. A.2021  
DONALDUS TRUMP  
PRAESES CIVITATUM AMERICAE UNITARUM  
AD NATIONEM HABUIT  
IN LATINUM CONVERTIT  
LEO LATINUS.**

<https://www.youtube.com/watch?v=fUTakeFSEaU>

# DONALDI TRUMP PRAESIDIS AMERICAE ORATIO PACIFICA ALTERA

## "DEBEMUS SANARE, NON ODISSE"



Hoc scopocinematium (*Videoclip*) a friguttrinae (*Twitter*) censoribus deletum est documentum, quo appareat, quid Donaldus Trump praeses quondam Civitatum Unitarum, reverâ dicat et sentiat! Nonne sunt *Steinmeieri*, *Merkeliae*, *Maasii*, *Söderi* necnon diurnarii gubernationi serviliter dediti isti, qui reverâ instigent et mendacia divulgant ideoque odium serant?! Qui diurnarii regiminis Merkeliani hanc orationem Trumpianam fideliter attulerunt??? E contrario tales diurnarii „mediorum qualitatis optimae“ dicta Donaldi infamissimê falsaverunt aut improbissimê omiserunt. Scopocinema (*Video*) originale a friguttrinariis iam **mense Iunio anni 2020** (!!!) deletum est. Quo denuo demonstratum est libertatem interretialem non iam esse, sed iam pridem censurâ *Googleanâ* et *Dorseyianâ* sublatam esse: "Healing, Not Hatred" <https://www.youtube.com/watch?v=0P40r...>

»Intellego dolorem, quem homines patientur. Mors *Georgii Floyd* fuit gravis tragoedia. Quae numquam fieri debuit. Quâ Americani in totâ terrâ versantes completi sunt terrore et irâ et tristitiâ. Nos fovemus ius civium reclamationis pacifica et audimus eorum appellations. Voces civium legibus fidelium oportet audiantur – idque attentissimê! Nos

adsumus familiae Georgii Floyd et omnibus manifestatoribus pacificis omnibusque civibus, qui sint legibus fideles et consentiant de communitate hominum probê et securê servandâ atque tutandâ.



At ista quae nunc videmus in viis urbium nostrarum, nullo modo spectant ad iustitiam pacemque. Memoria Georgii Floyd dehonestatur a grassatoribus, turbatoribus, direptoribus, anarchistis.



Violentia atque vandalismus inflammantur ab „Antifascistis“ aliisque gregibus sinistri-radicalibus, qui vexant homines innocentes tyrannicê eorumque tabernas destruunt. A catervis grassatorum opus hominum bonorum labore totius vitae comparatum destruitur eorumque somnia destruuntur.



Damnum infertur illis, qui habent paucissima. Nullo modo nobis licet permittere, ut parva caterva scelerorum vandolorumque urbes nostras ad interitum vocet nostrasque communitates perdat atque corruptat. Debemus ius defendere, quo omnis civis vivat sine violentiâ, sine timore, sine opinionibus praeiudicatis. **Debemus sanare, non odisse! Adhibere iustitiam, non efficere chaos!** Haec sunt praecepta huius horae.




Equidem coram vobis sto amicus et socius omnis Americani, qui petat iustitiam pacemque. Nemo commotior est quam nostri custodes ordinis fideles, quod caterva paucorum ius suum iurandum protegendi et ministrandi violavit. Nos adiuvamus maioritatem ingentem eorum vigilum publicorum, qui omni modo sunt rei publicae magistratūs maximē assidui atque admirabiles. Debemus nos collaborare, ut pro omnibus hominibus nostris augeamus spes atque occasiones dignē et feliciter vivendi. Omnis civis omnisque communitas ius habet securē vivendi in sede operarum et mansione suā et in stratis viis publicis. Nos operam damus, ut societatem faciamus iustiorem. At talis societas fit construendo, non abrumpendo, manibus porrigendis non pugnis faciendis, animis pacificē placandis, non odiosē distrahendis! Hoc est ius sanctum omnis Americani, quod defendere sum et ero paratissimus».

**HANC ALLOCUTIONEM  
M.IUN. A.2020  
QUAM DONALDUS TRUMP  
PRAESES CIVITATUM AMERICAE UNITARUM  
AD NATIONEM HABUIT  
IN LATINUM CONVERTIT  
LEO LATINUS.**

## MYTHI GRAECORUM

a Gustavo Schwab enarrati, a Leone Latino in Latinum conversi



### **Theseus rex**


Multis lamentis factis Theseus cum patrem sepelivisset, Apollini id sacrificavit, quod ei voverat. Nam navigium, quo unâ cum iuvenibus Atticis et virginibus profectus salvus reverterat, vehiculum triginta remorum, in memoriam aeternam ab Athenis eo conditum est, quod in locum ligni putrescentis iterum iterumque supponebatur novum. Ita factum est, ut hoc navigium aetatis heroicae priscum ac sanctum etiam post Alexandri Magni obitum ostendi soleret amicis antiquitatis.

Theseus nunc rex factus mox se non sôlum praestitit heroem bellicum, sed etiam ingeniosum civitatis conditorem populique beatificatorem. In hac autem re ipsum Herculem, qui sibi exemplo fuit, superavit. Nam opus suscepit magnum et admirabile perficiendum. Antequam Theseus regnare coepit, plerique incolae Attici circa arcem et oppidum Athenarum tam disiecti habitaverant in singulis villis et viculis, ut difficile esset eos convocare de rebus publicis consulturos, immo iidem interdum rixarentur de possessione vicinâ. Nunc Theseus omnes cives regionis Atticae inter se consociavit, ut ex vicîs dissitis fieret una civitas communis; quod opus magnum non more tyranni effecit violenter, sed singulas communitates gentesque visitans studuit id

assequi, ut illae sibi assentirent voluntariē. Cives autem pauperes et humili loco nati non diu adhortandi fuerunt, quia lucrum erant facturi, cum opulentioribus conviventes; sed potentibus divitibusque promisit potestatem regalem usque id temporis immoderatam restrictum iri necnon constitutionem penitus fore liberam. Itaque Theseus: »Ego ipse«, inquit, »dux non ero nisi bellum gerendi et lēges protegendi, ceterum concedenda sit aequalitas iurum omnibus meis concivibus.« Hoc a multis nobilibus comprobatum est; at aliis haec rei publicae mutatio minus grata erat, cum timerent Thesei auram popularem potestatemque magnam, quā is iam valebat necnon eius audaciam bene nōtam. Itaque iidem nobiles maluerunt ei cedere, a quo cogebantur.

His consiliis conceptis Theseus omnes sustulit curias singulas et communitatum magistratūs non obnoxios et condidit curiam omnibus communem mediā in urbe sitam et sollemnitatem instituit omnibus civibus rei publicae dedicatam, cui nomen imposuit Panathenaeorum. Nunc demum Athenae factae sunt vera urbs earumque nomen vēnit in consuetudinem. Nam antea eaedem nihil fuerant nisi arx regia, quae a conditore appellata erat arx Cecropis et circa quam paucae tantum domūs civium steterant. Theseus, ut hanc urbem novam etiam augeret iurum aequalitatem affirmans novos accolas advocavit ex omnibus regionibus venturos; nam heros voluit Athenis condere coloniam gentium communem. Ne multitudine hominum, qui confluxerant, civitas denuo condita perturbaretur, Theseus populum primo dividit in nobiles et agricolas et fabros omnique ordini civium iura officiaque attribuit propria, ut nobiles auctoritate muneribusque officialibus, agricolae utilitate, fabri numero suo praestare viderentur. Regiam autem potestatem suam propriam deminuit, ut promiserat, eo quod fecit consilio nobilium populique concilio obnoxiam.

## BELLUM AMAZONUM



Cum Theseus ad rem publicam timore deorum firmandam fundaret cultum Minervae terram tutantis necnon Neptuni, a quo eximiē protegebatur, quia diu habitus erat pro eius filio, sancta certamina in Isthmo agenda aut introducebat aut saltim renovabat, ut olim Hercules ludos Olympicos Iovi dedicaverat, Athenae afflictæ sunt bello quodam miro et extraordinario. Theseus enim iunior cum esset, expeditionem faciens litus Amazonum appulerat, et eaedem mulieres bellicosae, quae viros non timebant, heroem formosum minimē fugerunt, immo eidem dona miserunt hospitalia. At Theseo non sôlum placuerunt dona, sed etiam donorum traditrix, quae fuit Amazon pulchra. Eadem fuit nomine Hippolyte; quam heros invitavit, ut viseret navem suam; quam cum ea ascendisset, Theseus avectus est

unâ cum praedâ suâ pulchrâ. Athenas cum advenisset, illam in matrimonium duxit. Hippolyte haud illibenter nupsit heroi et rēgi magnifico. At viragines bellicosae de raptione audacissimâ indignatae eiusdemque numquam oblîtae in ultione petendâ perseverantes tandem occasione captâ, quâ civitas Atheniensium visa est vigilum expers, quodam die classe navium terram Atticam appulerunt, oppugnaverunt, urbemque circumdatam raptim invaserunt, immo mediâ in urbe castra collocaverunt ordinaria, ut incolae territi in arcem recederent. Deinde uterque grex quâdam verecundiâ affectus cessavit impetum facere; tandem Theseus de arce pugnare coepit, cum oraculo doctus sacrificavisset deo terroris. Primo viri Athenienses alienis viraginibus urgentibus cedentes usque ad templum Eumenidum repulsi sunt. At deinde pugna ab alio latere est renovata; itaque ala Amazonum dextra repulsa est usque ad castra multaeque sunt interfectae. Hippolyte regina hōc in proelio fertur originis immemor unâ cum marito pugnavisse contra Amazones. Quae mulier iuxta Theseum stans pilo transfixa est, ut prosterneretur. In eius memoriam postea Athenis columna est exstructa. Totum bellum finitum est foedere pacis, quo pacto Amazones Athenis relictis in patriam reverterunt.

**MYTHUM THESEI**  
**A GUSTAVO SCHWAB**  
**THEODISCE ENARRATUM**  
**IN LATINUM CONVERTIT**  
**LEO LATINUS**

# **ECHUS VOCES EPISTULAE**

Am 25.01.2021 um 15:42 schrieb József Kovács:

**OPTIME DOMINE GROSS**

MAGNA CUM ANIMI INTENTIONE ET HAUD PARVO  
GAUDIO SCRIPTA DE REBUS DONALDO TRUMP GESTIS  
MULTITUDINEQUE PETITIONUM PAENE AB UNIVERSIS  
ERGA EUM FACTARUM IMPETUUMQUE SUSTENTORUM  
LEGI.

DECENTIA ET MODESTIA POSTULANT, UT COPIA  
NOTITIARUM AC SENTENTIARUM ATQUE  
EXISTIMATIONUM ADHIBEATUR, ETIAM TUM LONGE ET  
ALIA MENS SENTENTIAM DICENTIBUS ESSET.

**DOLEO, QUOD PAUCISSIMI HOMINES SERMONEM LATINUM  
CALLENTES SUNT, QUI RATIONEM HAC IN EPHEMERIDE  
DEMONSTRATAM LEGERE POSSUNT.**

**EXOPTO, UT INDUSTRIAM ET OPERAM ASSIDUE  
PERSEVERES.**

**VALEAS QUAM OPTIME**

**IOSEPHUS FABER**

**Nicolaus Iosepho lectori humanissimo**

sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Summas gratias tibi ago, care Iosephe, quod nobis affirmas relationem  
Leonis Latini Trumpianam tibi placere.

Semper gaudeo de sententiis lectorum divulgandis, itaque etiam verba tua  
in proxima Epistula Leonina publici iuris faciam.

Pancratice vale, care Iosephe, et perge nobis favere!

Medullitus te salutat

Nicolaus Groß

LEO LATINUS

# **NUNTIUS LUGUBRIS**

**STANISLAUM TEKIELI EDITOREM EPHEMERIDOS  
LATINAE VARSOVIENSEM ANIMAM EFFLAVISSE**



**STANISLAUS TEKIELI**

\*d.18. m.Sept. a.1965  
+d.19.m.Nov. a.2020

**POLONUS EDITOR EPHEMERIDOS LATINAE INTERRETIALIS  
MAGNUS FAUTOR LATINITATIS VIVAE OBIIT PRAEMATURE.  
SIT EI TERRA LEVIS.**

d.27 m.Ian. a.2021 h.02:27

Lydia Nicolao spd

Invito animo, magno maerore, te certiorem facio de Stanislai obitu, qui mense Novembri evenit. Miror quod Albinus vel alius sodalis maestum nuntium ad te non miserit. Gratias ago pro celeri responsione. Vale optime!

Nicolaus Lydiae s.

Nuntio lugubri a te accepto contristatus sum. Nam quamquam Stanislaum numquam extra interrete conveni, commercio litterarum multarum annis praeteritis iam facto pro certo habeo eum fuisse hominem doctum atque perhumanum, Latinitatis vivae fautorem studiosissimum. Scisne aliquid de huius obitūs causis et circumstantiis? Referas, quaeso, mihi, ut scribam in memoriam sodalis optimē meriti. Haec raptim, mox fortasse plura. Medullitus te salutat Nicolaus.

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permitas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam – rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR .	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	<b>TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM</b>	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI – Libri audibles</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAЕ</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	<b>TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN</b>	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	----- -----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM VICESIMAM QUINTAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT



**DEBEMUS SANARE NON ODISSE**

**Die Dominicâ, 31. m.lan. a.2021**

**Dr. Nicolaus Groß**

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae (ALF)